



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# De Ivstitia Et Ivre ceterisq[ue] Virtutibus Cardinalibus

Lessius, Leonardus

Antverpiæ, 1632

9 Vtrùm oriatur obligatio restitutionis ex damno dato cum ignorantia  
comitante.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72459)

siti, quando datur pretium pro rei custodia; secus si gratis fiat. Denique contractus commodati, quando vtriusque causa fit. Ratio est; quia cum res aliena tibi concedatur in tuam utilitatem, æquitas postulare videtur ut valde diligenter eam custodias: non tamen diligentissime; quia non tua solius causa, sed etiam ob commodum domini traditur.

Sed nunc difficultas est, vtrum hæc leges obligent in conscientia ante sententiam Iudicis, ad damni ex culpa leui vel leuissima dati reparationem.

43 *Probabile est illas leges non obligare ante sententiam.* Sotus putat ante sententiam non obligare, esse enim pœnales, & procedere ex præsumptione culpa interioris. Idem videntur sentire ceteri supra citati. Quæ sententia meo iudicio non est improbabilis; non quod hæc leges pœnales sint, proprie loquendo, cum restitutio non sit pœna: sed quod in foro conscientia non videantur receptæ: nemo enim est, qui pignori vel rei conductæ putet se maiorem custodiam debere ex iustitia, quam dominus ipse adhibere solet. Idem videtur de commodato: etsi enim maiore cura hoc custodiat, quam dominus; non tamen id facit, quod putet se teneri lege iustitiæ, sed ex gratitudine: id enim gratitudo postulat, propter commodum, quod ex re alterius percipit. nec minus putant homines se teneri ad custodiam precarij, quam commodati. Vnde etiam plerumque fit restitutio, non solum si commodatum perit, sed etiam si precarium; quamuis absque omni culpa perierit.

44 Dices, Si non tenetur, ergo inique cogitur in foro exteriori.

Respondedo, negando consequentiam: potuit enim hoc lege statui propter bonum commune; tum ut vitetur omnis fraus & negligentia circa res huiusmodi, tum ut omnes excitentur ad diligentiam eam, quæ æquitati naturali est consentanea, etsi ex iustitia non sit debita. Sicut enim qui defloravit virginem volentem, ante sententiam nihil ei ex iustitia debet; tamen in foro externo cogitur eam dotare, lege sic statuente propter bonum commune: ita etiam qui amisit commodatum absque culpa, etsi nihil ex iustitia debeat ante sententiam; tamen potest cogi ad restitutionem, ex vi legis ob bonum commune ita statuentis. Neque hoc mirum videri debet; quia in foro externo, dum agitur de damno dato, etiam culpa leuissima spectatur, ut patet L. In lege. 44. 7. Ad legem Aquiliam: tamen in foro conscientia hæc non obligat; ut ostensum est Dubitatione 6.

45 *Contraria communior. Ratio, cur obligare videantur.* Fateor tamen contrariam sententiam (nempe has leges obligare ad reparationem damni ante sententiam) esse communiorē, ac proinde ordinariē in praxi seruandam. Ratio est; quia istæ leges sancunt, id quod naturali æquitati est consentaneum circa rem alienam (quam mediante contractu apud nos habemus) præstare: quæ sanctio posita (qui facit talem contractum, accipiendo commodatum, conductum, depositum, pignus) implicite se obligat ad præstandam eam diligentiam, quam leges requirunt. quare si hanc diligentiam non præstet, (quamuis id naturali obliuione, sine omni culpa factum sit) tenebitur ad restitutionem. Vide Couarr. in Epitome 4. decret. pag. 2. cap. 6. §. 6. nu. 15. & Nauarr. cap. 17. num. 184.

## DUBITATIO IX.

Vtrum oriatur obligatio restitutionis ex damno dato cum ignorantia comitante.

46 *Ignorantia comitans.* Respondeo, Minime oriri, (quidquid aliqui dixerint) si ignorantia fuit inculcata. ut patet ex dictis 1. 2. q. 6. a. 8. Ut, si putans esse feram, & telo petens interficias; deinde deprehendas fuisse inimicum, quem ad necem quærebas. Ratio est; quia occitio illa inimici, vel hominis, nullo modo est voluntaria; ac proinde absque omni culpa: & consequenter non inducit obligationem restitutionis. Nec refert, quod illum aequè voluisses occidere, si sciisses esse inimicum, & quod gaudeas occidisse; quia illa voluntas non est causa operis; cum non sit, nec fuerit; sed solum esset, posita conditione, quæ non ponitur. gaudium verò sequitur opus. Vnde non magis obligat ad restitutionem, quam si gauderis ab alio factum.

## DUBITATIO X.

Vtrum restitutio sit necessaria ad salutem.

D. Thom. q. 62. a. 2.

47 *Gracorum sacerdotes.* Gvido Carmelita assignat Græcis hunc errorem, Restitutionem inique ablatorum non esse necessariam ad salutem, sed sufficere eleemosynam ex illis datam. Sed non puto Græcos Doctores hoc docuisse; cum Scriptores antiqui non meminerint. quomodo credibile sit, aliquos eorum sacerdotes ex auaritia hoc in absouendis penitentibus obseruasse, ut partem obtinerent.

Respondedo igitur, Ipiam restitutionem externam, esse necessariam ad salutem, si facultas suppetit: si autem non suppetit, non est quidem ipsa externa restitutio necessaria, propositum tamen restituendi est necessarium. Docet hoc D. August. epist. 54. quæ est ad Macedonium: Si res aliena, propter quam peccatum est, reddi potest, & non redimitur, penitentia non agitur, sed simulatur: si autem veraciter agitur, non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum.

Prior pars probatur; quia non restituere, cum possis, est voluntariè nocere & facere iniuriam proximo: (non restituendo enim, noces proximo; nam impedis illum à possessione & vtu rei suæ vel debita) atqui necessarium est ad salutem ut nemini voluntariè noceamus, aut iniuriam faciamus; ut ex multis Scripturis constat, ergo necessaria est restitutio. Vide plura apud Alphonsum Caltrium v. Restitutio.

Dices, Luca 11. Cum Dominus dixisset Pharisæo, quod intus est vestrum; plenum est rapina, & iniquitate, subdit; Verum tamen quod superest, date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis. ergo sufficit eleemosyna ad expianda peccata iniustitiæ.

Respondedo, Si hoc argumentum valeret, etiam probaret penitentiam non esse necessariam futuribus. itaque non vult Dominus eleemosynam sufficere, sed esse optimam dispositionem ad munditiam animi. q. d. Date eleemosynam pro vestra facultate (id enim videtur significari in Græco, cum dicitur, τὰ ἔσθια, id est, τὰ τὸ ἐσθῆν) & facili mundabimini; quia disponetur animus ad veram penitentiam.